

dum obscurior. Ergo non ante inventi, quam inedia ad unum omnes absumpti sunt. Ejus rei nuntius Goam allatus, moerore civitatem implevit. Socii tres æterno virtutis & caritatis præconio celebrati, quod oblato ad salutem exitu, suis tamen ipsi capitibus aliena solatia prætulissent. Anno insequenti, Joannes Patriarcha, Andreas Episcopus, & Joannes Mesquita, oratore Sofa inter navigandum extincto, Goam devehuntur incolumes. Ibi cognito Claudium, contra opinionem & famam, in veterum erroribus & impia secessione perstare; digna consultatione res visa. Adhibiti præter lectissimos e Societate Patres, Ecclesiæ quoque Goanæ viri primarii. Ac Patriarcha quidem, quamquam asperis ac periculosis in rebus, tamen sese in omnem aleam Christi causa paratum ostendere. cæteris nequaquam e Sedis Apostolicæ dignitate visum, eo loco fastigioque personam, tot tantisque Pontificis Romani decretis ac judiciis inclutam; sejunctæ e Catholico coetu genti præbere ad ludibrium & contumeliam os. Verum, ne prædamnata & abjecta repente per metum vel ignaviam tantæ expectationis apparatusque legatio, & si quid sanari experiendo posset, omissum ulla ex parte videretur; Andream Episcopum duobus tribusve cum sociis Abassiam adire, quæque Rhoterigiis incassum egerat, pari fide, majore auctoritate, rursus aggredi placuit: & prout sese res darent, per litteras Patriarchæ Joanni suadere vel dissuadere provinciam. Ille, tam præclaram de Christo bene merendi & exercendæ patientiæ occasionem arripuit libens. Cum Emmanuele Fernando sacerdote, & paucis præterea comitibus in Abassiam profectus; nihilo quam Rhoterigiis faciliorem aut æquiorum expertus est Regem. Major dein illis oblata omnis virtutis explicandæ materies. Paucis namque post eorum adventum diebus, Claudio a perduellibus acie victo ac perempto, successit Adamus frater, olim desertor fidei Christianæ, vir immanis ac ferus, & Apostolicæ Sedis hostis acerrimus. is, vinctum Andream, in castra bellumque raptavit; comites, probris & contumeliis; Abassinos quotquot catholicæ veritati favere visi sunt, vario genere pœnarum affecit. atque ipse demum a Turcis, quorum arma rebelles in regnum asciverant, ingenti clade fusus fugatusque est. Et ab iisdem, Andreas ac socii primo capti crudeliterque direpti, postmodum igne in hospitium injecto vivi pæne combusti; denique tanta premi rerum omnium inopia ccepti sunt: uti ad vitam tolerandam, ne a pufillo, quem supra dixi, Catholicorum abscederent grege, bobus & aratro quæsitis, terram suis ipsi manibus colerent. Atque inter hæc difficultates & incommoda quotidiana, caritatis & obedientiæ gloria clarus Andreas, divexato miris modis & fatigato corpusculo tandem excessit. Per hunc modum de aggregandis ad Catholicorum numerum Abassinis elusæ bonorum spes. At Patriarcha Joannes, Albuquerque Goano Episcopo vita functo, cum ad illius Ecclesiæ gubernacula vocaretur; nunquam, ut eam reciperet procurationem, adduci potuit. Suum ipse quin potius apicem, quoad liceret, ad Societatis normam & instituta submittens; perpetuam abstinentiæ, religionis, industriæ laudem ad ultimum usque spiritum æquali tenore perduxit. Melchior, Nicenus Episcopus, pari moderatione cum se pæne in ordinem redeisset; in Thomæos Christianos e consuetudine Societatis excurrens, Nestorianum pseudoepiscopum, inficientem prava doctrina populorum animos, egregie

Yyyy

gie